

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1863

De Sanctis Martyribus Africanis Felice, Secundo, Honorio, Luciano,
Candido, Januaria, Cælifloria, Jucundo, Acuto, Petro, Marco, Severo,
Anastasia, Telesphoro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

AUCTORE
SEGERO
PAULLO.

sisset. Hic nempe Pontifex sacerrimus, ceterique quos ea tulit astas, Apostolici viri, pro veritate tuenda, adversus tantam impostorum colluviem, egregiam navarunt operam. Factumque hinc est, ut magistra veritate, haeretica improbitas, ac probitas Catholica, singulae suis distinctae characteribus, agnoscerentur, et illa quidem condemnaretur, haec autem commendaretur.

§ IX. Illustri coronatur martyrio Telesphorus, et annua ejus in Ecclesia celebratur festivitas.

Martyrium
subit.

a

Tandem vero bonorum operum gloria clarissimus Pontifex, cum sedisset annos undecim, menses novem, triduo minus, felici cruento aspersus, ad caelestem patriam magno bonorum omnium gemitu, cum palma migravit martyri anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, a Nonis Januarii : sepultusque est in Vaticano, iuxta corpus B. Petri Principis Apostolorum. Ejus porro cum illustris martyrii, tum pro Ecclesia impensi studii, Romanum Martyrologium ad quintum diem Januarii meminit in hunc modum : Romæ, S. Telesphori Papæ, qui sub Antonino Pio, post multos labores pro Christi confessione illustre

VITA S. TELESPHORI PAPÆ MART.

martyrium duxit. Sed et D. Irenæus de eodem : Gloriosissime (inquit) martyrium fecit. Tertullianus etiam, in poemate contra Marcionem, a se, cum esset junior, scripto, de eodem his versibus :

Post expleta sui quā lustri tempora, tradit

TELESPHORO : excellens hic erat, Martyrque fidelis.

17 Memoria autem ejus anniversaria non tantum in tabulis Ecclesiasticis Martyrologii Romani, ut jam vidimus, notata reperitur, sed et Clemens Octavius Pontifex Maximus, hoc nostro saeculo, videlicet anno Christi millesimo sexcentesimo secundo, ipsum Romano Breviario, a se reformato inseruit : Tametsi etiam Carmelitarum Ordo ante illa tempora ab antiquo ejus festivitatem annuam quinto die Januarii celebraverit; quo die ipsum in antiquis manuscriptis Psalterii Carmelitarum annotatum vidimus. Quod proinde jure optimo pro stabilienda Carmelitana antiquitate notavit vir eruditus Joannes de Carthagena Ordinis S. Francisci in Homiliis suis super festo Commemorationis emblematis B. Dei Genitricis MARIE de Monte Carmeli. Sed et ante ipsum Carolus Tapia supremi Concilii Regens, vir religiosissimus, pariterque doctissimus lib. de Relig. eundem S. Telephorum Carmelitanæ adscribit Religioni.

a Graci eum colunt xxi Febru. ut patet ex Menœis.

DE S. SAI MARTYRE.

V JANUARII.

Menæa hunc mari mersum disticho encomiastico celebrant. Alibi altum de eo silentium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS FELICE, SECUNDO, HONORIO, LUCIANO, CANDIDO, JANUARIA, CÆLIFLORIA, JUCUNDO, ACUTO, PETRO, MARCO, SEVERO, ANASTASIA, TELESPHORO.

V JANUARII.

Hi socii fortassis eorum fuere, de quibus vi Januarii agemus, qui Severi tempore incendio consumpti. Suntque aliqui cognomines, aut certe iidem utroque die relati. Horum nomina extant in Martyrologio S. Hieronymi : In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januariae, Cælifloriæ (an Cælii et Floriæ, vel Flora?) Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Severi, Anastasi ms. Rhinow. In Africa Felicis, Secundi, Luciani, Jocundi, Petri, Marci. Notkerus : In Africa, Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Januarii, Telesphori, Jocundi,

Anastasiae. Idem vi Januar. In Syria S. Anastasie. An eadem est quæ hic refertur? nullam in Syria Anastasiam alibi lego. Nisi sit Anastasius de quo agemus ix Januar. cum S. Juliano passus vi Januar. Usuardi editio Coloniensis anni 1321. In Africa, Felicis, Secundi, Honoris, Luciani, Candidi, Januarii. ms. S. Martini Tornaci : Eodem die Sanctorum Honorii, Luciani, Jocundi. ms. S. Marci Ultrajecti : et Sanctorum Felicis et Amandi. ms. S. Martini Treviris : Felicis et Amandi.

DE SS. EUPREXIA VIDUA ET THEOGNIA VIRGINE.

CIRCITER
AN. CHRIST.
CCCLXXX.
V JANUARII.

Menis, sive Menæi, (oppidum est Siciliae antiquissimum inter Ennam et Syracusas) Commemorationem hodie agi BB. Euprexia vidua, et Theognia Virginis, matris et filia, ad quas S. Agrippinæ corpus Roma deportatum, Imperatoribus

Valeriano et Gallieno, testatur Octavius Cajetanus Novus et Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum S. Agrippinae meminit Martyrologium Romanum xxiv Maji, et xxiii Junii.

DE